

Christian Schlee Israel Tabbert

## **Theoremata Theologica De Libero Hominis Arbitrio ...**


Rostochii: Reusner, 1605

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756818230>**

Druck Freier  Zugang



Schlee  
Chr. Hedanus  
R. U. theol. 1605.



THEOREMATA  
THEOLOGICA  
DE LIBERO  
HOMINIS AR-  
BITRIO,

DEO BENIGNE COEPTIS ANNVENTE

*Reverendi Collegij Theologici autoritate,*  
*'n Academia ROSTOCHIENSI,*

SUB PRAESIDIO

M. CHRISTIANI SLEDANI  
ROSTOCHIENSIS,

*Ad disputandum proposita*

AB

ISRAELE TABBERTO, Trep.  
Pom. SS. Th. Stud.



ROSTOCHII

*Apud Christoph. Reusnerum. 1605.*





## CONTINVATIO

**S**uperior de Originali Peccato dissertatio hanc de LIBERO ARBITRIO, seu de humanis Mentis ac Voluntatis Viribus συζητησιν immediatè excipit. Sunt enim Mens & Voluntas hominis, quibus adherent adfectus, principia & quasi rectrices morum, actionum, totiusq; adeò vita rationalis. Quæ principia, si recta & proba fuerint (ut in statu Protoplastorum ante lapsum fuerunt) nimirum & vita ipsa, & actiones, & mores probi rectiq; esse possunt; sin corrupta, pro ratione eorum corruptionis, siue magna, siue parva, sequuntur illis conformes mores, actiones & vita integra: ut in quantum vires & facultates arbitrij nostri extenuantur ac deprimuntur, in tantum Originis malum extollatur & amplificetur; Contraq; quantum illis conceditur, tantum hoc extenuatur. Quid virium igitur Mens & Voluntas hominis corrupti habeat, accuratè est expendendum, sicut & ille jubebat, videndum esse cautè, Quid sibi sit domi praviq; boniq; repositum. Cumq; inherentè materiã ac originalem corruptionem proximã disputatione cognoverimus, ob id facilius nunc de VIRIBVS, vel reliquis vel amissis statuere possumus.

Sed & quandoquidem de hisce varia à varijs olim fuerint in controversiam vocata questiones, nos hac vice eas potissimum propositis paucis & brevibus maxime Theorematibus συζητησιν examinabimus, qua nostris temporibus agitata & in symbolico libro Form. Conc. Artic. 2. à Theologis decisa fuerunt. Et quidem non inanis fuit iste verborum strepitus, & rixa (quod dici solet) de umbrã asini, siquidem hujus articuli ignorantia non modò varios & perniciosos de merito congrui, de Operum justitia, de Legis adimplerione, de Preparatione ad gratiam, de Bonorũ operũ ad salutem necessitate &c. errores iniecit;

A

verũm

verum etiam magnitudinem atq; amplitudinem gratuiti beneficii redemptionis & sanctificationis nostra nobis per Christum parte adeo extenuat, ut B. Luth. in libro de Servo Arbitrio verè dixisse visus sit, Omnes propugnatores Liberi Arbitrii esse abnegatores Iesu Christi.

THEOREMA PRIMVM.  
Quod ad vocem LIBERI ARBITRII; est terminus iste apud Scriptores Ecclesiasticos *πρὸς ἄλλους*.

ΕΠΙΘΕΤΙΣ.

1. *Cam omnis ambiguitas in voce, qua plura significare potest, nascitur; prodest quoq; ad veram LIBERI ARBITRII significationē ac naturam inquirendā, primū varias huius termini homonymias semper ob oculos sibi propositas habere: Quandoquidem verò iste in Scripturā ἀπολεξί non contineatur, sed eam Patres primitus in Ecclesiam ex practicā Philosophiā mutuam introduxisse videatur; ob id probè fuerit attendendum, quo sensu eum accipere, presentiq; negotio accommodare voluerint.*
2. *PRINCIPIO itaq; Theologorum quidem alij ARBITRIVM ad Intellectum, qui voluntati objectum eligendum vel negligendum monstrat: LIBERVM ad Voluntatem, objectum à mente monstratum ultrò expetentem vel repudiantem referunt. Inde & Augustinus libro 3. contra Pelag. Arbitrium dici vult ab arbitrando rationali consideratione, vel discernendo, quid eligat, quid vè recuset: Liberum verò quod in suā sit potestate positum, habensq; agendi & omittendi, quod velit, possibilitatem.*
3. *Alij id minùs probantes, ARBITRIVM simul & de hominis intellectu, & de voluntate exequendi ea, qua mens & voluntas decernunt, interpretantur: Voce autem (LIBERVM) indicari volunt, vires posse in utramq; partem sui juris esse, & coactione omni solutas, ut vel mens sive verè, sive falsò, iudicet.*
4. *PRAETEREA Liberum opponitur Necessario; Necessitatem verò*  
Lutherus

Lutherus ex Damasceno facit duplicem: aliam Coactionis, cujus principium est foris extra hominem, ita ut homo nihil cooperetur, sed moventi magis reluctetur; aliam Immutabilitatis, ubi homo volens quidem aliquid eligit & agit, sed non valet in utrumq; oppositorum, sed ad unum tantum immutabiliter astringitur: Cumq; oppositorum isthac sit natura, ut quot modis unum eorum dicitur, dicatur totidem & alterum; per hoc sequitur Liberum bifariam accipi: Quatenus Coacto opponitur, proprie significat id, quod in se habet movendi, & quò velit, & quò ducitur, principium; quatenus Immutabili seu Servo, notat facultatem & bonum & malum utrò eligendi & exequendi, diciturq; proprie Spontaneum.

5. PORRO Liberum Arbitrium aut ipsum intellectum & voluntatem hominis, cui essentialis est libertas, significat, idq; abusive; aut de qualitate seu potentiâ ac rectitudine accipitur, quâ homo potest & mente cognoscere verum & falsum, & voluntate eligere aut respuere bonum vel malum.
6. Est harum distinctionum summa utilitas: Roganti enim, Originali ne corruptione homo liberum suum Arbitrium perdiderit? distincte fuerit respondendum: Si voces Liberi arbitrij de partibus essentialibus anima rationalis seu de voluntatis ac mentis essentiâ interpretari quis velit, affirmative; (quacung; enim homo etiâ in hoc peccati statu vult, sive bona, sive mala, liberè, non coactè vult) Si de ejus qualitate; negativè (non enim nunc, ut olim, benè & rectè, sed tantum pravè & malè volumus & agimus) verum dixeris. Vnde Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagij cap. 15. Liberum arbitrium semper est liberum, sed non semper est bonum; Et cap. 2. Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium? de humano genere libertas quidem perijt per peccatum, sed illa, qua fuit in Paradyso, habendi plenam justiciam. Nam Liberum Arbitrium usq; adeò in peccatore non perijt, ut per illud peccent maxime omnes, qui cum

delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Vnde liquet, voluntatis iudicium Depravatum, non verò Ablatum.

7. Rursum de qualitate Liberi Arbitrij rogatus, Liberanè sit hominis corrupti voluntas? Est inquam in malis liberrima, si libertas Coactioni opponitur; sin Servo, non est quidem in Spiritualibus, licet quodammodo in Externis & Civilibus negotijs.
8. DENIQ, appellationes αἰτεξέσιον, αὐτοθέλειον καὶ αὐτοδέσποτον quibus Patres Græci Liberum Arbitrium exprimunt, nimis videntur esse arrogantes, si de viribus humanis pradicentur. Deus enim solus est αὐτεξέσιος, αὐτοθέλειος, αὐτοδέσποτος, habens ex se liberam & absolutam cognoscendi, volendi, agendivè potestatem nullius imperio subjectam: In homine verò, ceu creaturâ, est saltem istius Libertatis quedam quasi effigies.

#### THEOREMA SECVNDVM.

Quod ad rem LIBERI ARBITRII attinet; generatim quatuor de eo quæstiones secundum quatuor distincta hominis tempora agitari solent.

1. Non ingeniorum subtilitas, sed ipsa rei necessitas nos inter quatuor generis humani tempora seu status in hoc articulo distinguere docuit. Multa enim à Scholasticis & Theologis quæstiones de Libero Arbitrio moventur, quæ sine distinctâ horum statuum contemplatione aut non satis explicantur, aut planè obscurantur, aut deniq, variè confunduntur.
2. Proponit verò nobis scriptura universum genus humanum modis quatuor considerandum. 1. in statu τελειότητος sive Integritatis. 2. in statu ἀνομιᾶς sive Transgressionis. 3. in statu κατανόησης seu Restorationis. 4. in statu ἀποκαταστάσεως seu Restitutionis in integrum.
3. Cum autem quæstiones de Libero Arbitrio singulares circa singulos status

status formari queant, Quid scilicet illud sit, & Quale in quolibet hominis statu, Veteres, ut omnis confusio vitaretur, eruditè istas questiones in quatuor classes sunt partiti, quarum alia primum, alia secundum, alia tertium, alia quartum hominis statum concernunt.

4. CAETERVM non incommode ARBITRIVM ratione sua facultatis posset quidem in statu ante lapsum verè dici Liberum; post lapsum Servum & captivum; post conversionem Liberatum; & denig, post glorificationem, Liberrimum seu Consummatum.

### III.

De priori ac posteriori Statu quid isthïc sit valeatq; hominis Arbitrium, nunc non adedò controvertitur; quam de duobus intermedijs.

1. Quid de Libero Arbitrio ante lapsum & post hanc vitam statuendum sit, eruditè Augustinus exponit lib. 22. de C. Dei cap. 30. Sicut prima immortalis fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori; ita primùm Liberum Arbitriũ posse non peccare: Novissimum, non posse peccare. Sic enim (ut idem August. in Ench. c. 105. loquitur) oportebat prius hominem fieri, ut & benè posset velle & malè: Nec frustra, si benè, nec impunè, si malè. postea verò sic erit, ut malè velle non possit, nec ideo carebit Libero Arbitrio. Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omninò non poterit servire peccato. Neq; aut voluntas enim est, aut libera dicenda non est, quã beati sic esse volumus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus &c.
2. Ex quibus Magister Sententiarum rectè concludit: Majorem fuisse libertatem Arbitrij primam, quàm secundam: & tertiam multò majorem fore, quàm fuit secunda & prima. Prima enim libertas arbitrij fuit in quo poterat peccare & non peccare; ultima verò erit, in qua poterit non peccare, & non poterit peccare: Media vero (quæ nobis duplex est) in quã potest peccare, & non potest non peccare.

3. Verum quoniam de libertate arbitrij secundum tempora primæ & integritatis & subsequenter glorificationis hoc seculo, nostro non admodum fuerit disceptatum; nec nobis nunc de ijs libet amplius concertare; sed quæ circa secundum & tertium statum maxime controversa sunt, deinceps considerabimus & dispiciemus.

#### IV.

Ac initio quidem de Lib. ARBITRIO in statu hominis post lapsum ante sui Conversionem verus status est observandus: AN scilicet Homo ante conversionem, & in ipso momento suæ conversionis sit Subjectum tantum *παθητικόν*? an verò *ειρηνητικόν*, seu *σύνεργον*?

1. Quæ hisce nostris temporibus fuerint concertationes de hoc controversia capite, nempe de Viribus hominis non renati agitata, ex Formulâ Concordiæ, Libro scilicet Ecclesiarum nostrarum homologetico in Artic. secundo, qui Synergistis propriè oppositus fuit, est evidentissimum.
2. Loquitur autem disputatio Vinariensis; attestantur & alia aliorum Theologorum decertationes, quàm multis modis hæc disputatio fuerit obscurata & intricata, dum verus controversia status delituerit, aut de industriâ transpositus subinde fuerit. Quod ut studiosè caveamus, verum *κρυπτόν* per *ἀρετήν* & *θέσιν* constituemus.
3. I. Principio autem non est questio de ipsâ humana voluntatis essentiâ, seu de vi anima rationalis insitâ, An homo, quæ velit, semper & ubiq; liberè, citra coactionem velit & eligat?  
 II. Neg; de Libero Arbit. ante lapsum: neg; de Libertate voluntatis per Spiritum Sanctum renovata: neg; de Libero arb. Angelorum & Beatorum in cælis, controvertitur.  
 III. Neg; de auditu verbi, An homini naturali sit libertas quædam in externo mediis conversionis nostræ usu, in dubium vocatur.

Neg;

IV. *Neg.* de actionibus politicis & naturalibus disceptatur, An homo eas, vi propria ac insita voluntatis, liberè & velit, & efficiat, & perficiat?

V. *Neg.* hoc tempore controvertitur, An homo ex merito (ut loquuntur) de congruo ex sese vitam aeternam promereri possit?

VI. *Neg.* nisi litigiosè disputando disceptatur, An Spiritu Sancto auxiliante in hominis conversione, motus quidam mentis & voluntatis spirituales inchoentur & efficiantur?

VII. *Nec demùm* quaritur, An hominis mens, voluntas, & vires in sui conversione nullum planè habeant sensum vel motum, sed sint tanquam truncus vel lapù sine sensu, sineq; omni motu?

4. Verùm hoc loco, quando cum Synergistis congregimur, proprius est status de CAUSA EFFICIENTE, An scilicet ad Spiritus Sancti motum ipsa voluntas hominis non renata, ex sese aliquid opera ad sui conversionem adferat? idest, An hominis non-renati Mens & Voluntas ante conversionem ad Deum, & in primo conversionis momento ex suis naturalibus viribus aliquam duntaxat potentiam & facultatem habeat, quã conversionem suam Spiritu Sancto adjuvante inchoare aut perficere, sicq; ex se suisq; viribus sese ad divinam gratiam & efficaciam, quæ per Spiritum Sanctum in verbo Evangelij offertur, præparare, applicare, apprehendere, assentiri, cum concupiscentijs luctari, non repugnare, &c. possit?

5. Ad quam questionem Ecclesia nostra secundum sententiam in Form. Conc. decisam negativè respondent, hominem naturalem ex suis viribus nihil omnino agere aut conferre ad conversionem inchoandam, vel ad interiorem mentis voluntatis & cordis renovationem efficiendam.

## V.

Vt nostram de propositâ Controversiâ sententiam dilucidè ex Scripturâ confirmemus, Objecta voluntatis erunt discernenda, quo-

da, quorum alia sunt Mundana, alia Spiritu-  
alia sive Divina, eaq; partim Exter-  
na, partim Interna.

1. *Ne quis fallacias Sophisticè struat, est & hac Objectorum distinc-  
tio, qua actionum nostrarum distinctionem parit, necessaria: ut  
enim objecta humana voluntatis; ita & ipsa actiones humana  
sunt diverse; alia Mundana, qua hanc vitam humanam respici-  
unt; alia Spirituales, ad Christianam vitam & religionem per-  
tinentes.*
2. *Virumq; actionum genus geminum est: MUNDANA opera  
partim sunt hominis propria, ut qua sunt rationi congenita,  
quaq; mens sive principis sive discursu assequitur e. g. Artes  
& scientiae; partim cum ceteris animantibus sensu ac motu na-  
turali praeiis communia, e. g. edere, ambulare, quiescere, &c.*
3. *SPIRITUALIA dicimus, tum qua directè ipsam animarum  
nostrarum salutem concernunt, Deoq; per se ac verè placent, ut  
credere, adversus carnem concupiscere, opera ex fide prestare,  
&c. tum qua per accidens ratione scilicet usus legitimi Deo pla-  
cent, inq; externo religionis cultu praestando versantur, ut tem-  
plum frequentare, conciones attendere, meditari, legere, preces  
recitare &c.*
4. *Docendi autem gratiâ posterius hoc Spiritualium actionum genus  
libet vocare EXTERNVM, quod in sensus exteriores in-  
currat: prius verò illud INTERNVM, quod eius operationes  
sint, non nisi ab intra in hominis mente ac potestate à Spiritu  
Sancto profecta. Ut in distinctis istis actionum generibus sese  
voluntas humana habet, porro explicabimus.*

## VI.

In mundanis actionibus est homini eligendi  
agendiq; libertas.

1. *Disputat Valla aliàs homo rixarum potius, quàm veritatis studiosior,*

num sit in hominis potestate, pedem dextrum vel sinistrum movere, quando & quomodo vult? tum etiam Pelagius quaerit: Si voluero curvare digitum, an hic requiratur necessario auxiliium DEI simul moventis? Ac fuerunt omnibus penè seculis haeretici, qui hominem ad nullas obeundas actiones valere libero arbitrio dixerunt; sed omnia, quae agit, absolutâ quâdam ac Stoicâ necessitate evenire.

2. Verum humanis viribus isthac adimere, est ex homine stipitem immobilem facere. Mansisse n. in mente aliquam rationis noticiam voluntatemq. ad civilem justiciam ac disciplinam externam praestandam, patet id, tum imperiorum ac civitatum administratione; tum legum auctioribus; rerum in bello gestarum facinoribus; foederum pactis; contractuum negotijs; quae omnia maximè floruerunt inter Ethnicos, homines scilicet non renatos; tum virtutum moralium singularium encomijs, ut quod Socrates temperantiâ, justiciâ Aristides, Lucretia castitate, fortitudine Numma Pompilius, Scipiones, Catones, clari perhibentur.
3. DEINDE Apostolus Ethnicis motus internos in mente & voluntate ascribit Rom. 1. & 2. Primò enim rationem Syllogisticam eis tribuit, quâ ex operibus creationis perveniunt in Numinis invisibilis noticiâ. Secundo opus legis eos naturâ facere significat.
4. Lutherus in 27. caput Gen. Hunc, inquit, sensum naturali instinctu etiam gentes habent, quod sit etiam aliquod supremum Numen, quod colendum, invocandum, laudandum, ad quod in omnibus periculis sit confugiendum, sicut Paulus Rom. 1. v. 19. & 20. dicit Gentes agnovisse Deum naturâ. Hac enim noticia divinitus plantata est in omnium hominum animis, quod vocant Deum auxiliantem, beneficum, placabilem; etsi in eo postea errant, quisnam ille Deus, & quomodo velit coli atq. adorari. hac Lutherus.
5. ALII rectè partiuntur vires humanas, quod potentes sint in hisce quatuor gradibus. I. in regendâ locomotivâ. II. in regimine œco-

nomico, atq; in artibus, tum liberalibus, tum illiberalibus. III. in honestate ac disciplinâ Philosophicâ. IV. in pietate præstandâ Pharisæicâ aut monasticâ, quam etiam in verâ Ecclesiâ multi scelerati & impij semper præstiterunt.

## VII.

Externa tamen hæc & civilis Libertas non est absolutè plena, sed multiplici imperfectione, vitiositate, ac infirmitate laborat.

1. Quando quaritur cur non omnes homines, ut aliàs omnes sunt *in honore* Spiritualiter mortui: ita etiam omnes aequali sorte moraliter sint viri & virtuosi; sed maxima hominum pars ad vitia externa perpetranda sit propensissima? Nec hoc solum; quin nec semper facinora, quæ improbi meditantur, exequi possint, sed sæpius retardentur? Sciendum est, esse quidem in operibus Politicis libertatem quandam, sed eam infirmam, non perfectam.
2. QVOD magis ad malum propendeat quàm ad bonum hominum voluntas, causa est alia Interna, alia Externa,
3. EXTERNA est præpotens & efficax Sathana tyrannis aut motio, quâ ita efficaciter hominum corda, quo ipse vult, movet, ut illa non tantum non possint sine servitute miserabili repugnare, sed nec sciant quidem se esse serva, alienovè arbitrio regi, quin potius magna alacritate eò ruant, quocung; ille modo voluerit aut ea inclinaverit: Quæ omnia sunt manifesta ex ipsâ rerum experientiâ quæ, sicut Augustinus inquit, aliquid ad seipsum persuadendum sine prolixis argumentationibus etiam valere debet.
4. Quin etiam præter Experientiam infallibile est sacra scriptura testimoniam, quæ contendit, tum corda hominum à diabolo excacari 2. Cor. 4. v. 4. tum hominem esse mancipium Sathana, quod ille captivum tenet ad omnem suam voluntatem 2. Tim. 2. v. 26.

Interna,

5. *INTERNA*, est *Violentia* furentis veteris *Adami*, atq; peccati adjacentis potentia, qua tanta est, ut, si omnes *Cacodæmones* interirent, nihilominus pessima radix nostri cordis suâ nativâ maliciâ pessimos fructus sine ullo cultore ubertim proferret; qua; nos impedit, ne id perficiamus, quod cupimus.

6. Est profectò hoc satis miserum, turbari fortunis omnibus; miserius, propriâ culpâ faces ac stimulos addidisse; miserrimū verò, illud nō modo non posse negare, verum insuper etiam cogi, non minimo suo cum dedecore confiteri. Si enim ne renati quidem liberi à peccato esse possunt, quid de non renatis, qui ductu ac nutu maligni *Spiritus*, laqueis quasi trahuntur, sentiendum & judicandum sit, nemo non videt?

7. Et hoc est quod etiam *Philosophus* fatetur 7. *Ethic. cap. 3*: Sepissimè homines ea agere, quæ sunt suâ naturâ mala, dum propter affectuum contumaciam particularis noticia menti eripitur. Ac *Ovidius* in *Medeâ* talem voluntatis ac affectuum, Phœgæ debilitatorum à *Ætæa* & colluctationem graphicè depingit his verbis:

Excute virgineas conceptas pectore flammæ  
Si potes infelix; si possem, sanior essem;  
Sed trahit invitam nova vis, aliudq; Cupido,  
Mens aliud suadet, video meliora, proboq;  
Deteriora sequor

8. Quamvis verò homo non-renatus nihil aliud, quàm peccare possit, agatq; eadem ratione, quâ mala arbor non potest ex se nisi malos fructus ferre, id tamen minimè de coactâ & Stoicâ necessitate, sive de naturali instinctu intelligi debet, quod ut lapis deorsum motu naturali fertur, sic & homo sine cognitione mentis & voluntatis appetitione faciat mala; sed de necessitate Immutabilitatis, quod homo insitâ nature maliciâ ad peccandum voluntate promptissimâ feratur.

9. QVOD hominis externus conatus pravus, nō semper eò, quo quidem  
B 2 velit

velit, pervenire possit, id provida mens Dei sic providet, quæ actiones hominis improbas ita dirigit ac moderatur, ut hominum peccantium actiones coercet, determinet, suisq; quasi metis circumscribat, ne in infinitum pro libidine grassentur. Sic Saullem Davidis vita insidiantem; Pharaonem in Iudeos grassantem; itemq; Ieroboamum 3. Reg. 13. Sennacheribum Esaiæ 37. inhibebat; immo & ipsum diabolum omnis mali  $\xi\alpha\alpha\epsilon\chi\sigma\upsilon$  etiamnum, ne suis semper cupiditatibus obsequi possit, impedit.

10. Nec tamen inde eligentis voluntatis libertas impeditur, exturbatur aut evertitur: aliud enim est loqui de  $\pi\epsilon\alpha\alpha\epsilon\gamma\epsilon\sigma\epsilon\iota$ , aliud de eventu; Saul & suâ ipsius voluntate liberrimâ, & diaboli impulsu innocentis Davidis necem summo studio expetit; at eventus divinitus suspenditur. Homo enim disponit, Deus verò dirigit gressus. Prov. 16.

### VIII.

In actionibus verò externis, quo ad cultum religionis, itidem homini est concessum liberum arbitrium.

1. Spirituales suprà Theor. 5. artic. 3. & 4. nominavimus actiones, non quidem propter formam externam, sed propter modum usus legitimi internamq; finis destinationem; cuiusmodi actiones sunt verbi divini auditus, lectio, meditatio, &c. quibus Spiritus Sanctus in convertendo homine uti solet.
2. Posse autem id voluntatem humanam suis etiam inconversa natura viribus præstare, & quidem cum quodam singulari studio & animi contentione, præter Experientiam, itidem & Scriptura comprobatur, quæ multa nobis testimonia suppetit; & exempla eorum, qui ex seipsis suis viribus studiosissimè verbo DEI externè audiendo aures præbuerint, demonstrant.
3. Illustris est locus Prophetia Amos cap. 8. v. 11. & 12. ubi Iudeis non-renatis & famis audiendi verbum DEI, & contentio querendi illud transcribitur.

Marcus

4. Marcus cap. 6. v. 20. de Herode inconverso pronunciat, quod *Ἰδὼν* Iohannem concionantem audiverit: Proconsul Ethnicus Paulus Sergius *ἐπιπέτης*, desiderabat à Paulo & Barnabá verbum Dei audire Act. 24.

5. Et quod Salvator de aeternum damnandis in genere Luca 13. v. 24. conqueritur, multos scilicet querere, ut ad aeternam vitam intrent; id Paulus in specie Iudaeis reprobis accommodat, quam nimirum isti diligenter legem iusticiae sectentur Rom. 9. v. 31. Zelum Dei habeant Rom. 10. v. 2. & aeternam vitam querant Rom. 11. v. 7. Et quidem quarant in scripturis sacrosanctis, in quibus verè arbitrantur, se viam ad vitam aeternam inventuros, Ioh. 5. v. 39.

### IX.

In actionibus deniq; internis seu merè spiritualibus, hominis conversionem fidemq; attinentibus, nulla omninò liberi arbitrij facultas homini est reliqua, ut vel perpusillum ac modiculum ad eam efficiendam sive operari sive cooperari velit aut possit.

1. PRINCIPIO si qua homini inest facultas sese convertendi, vel aliquid ad conversionem sui efficiendam adferendi; erit isthac bonitati vel Mentis vel Voluntatis accepta ferenda. Verum quàm *ΜΕΝΣ* hominis sit ignorantia plena, quàm rerum divinarum ignara, quàmq; caeca, abundè satis Scriptura attestatur, dum hominem in divinis passim nominat tenebras Iohan. 1. v. 5. Eph. 5 v. 8. Act. 16. v. 18. *ἀνοήτων* Tit. 3. v. 3. *ἐσθλοκαρδῶν τῆ δαυοία* Eph. 4. v. 18. Et cum primis dictum 1. Cor. 2. v. 14. (Animalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus, nec potest quidem) nostram hanc assertionem stabilit, ubi Apostolus initio subjectum significanter exprimit, cum non de Epicurais, qui quasi sine ratione in quavis scelera precipites ruunt, quosq; Petrus 2. Ep. 2. 12. *ἀλοῶν ζωῶν*

nuncupat: neq; de excacatis, qui dicuntur κατεφθαρμῶσι πᾶν νοῦν 2. Tim. 3. 8. Sed de homine ψυχῶν, qui virtute & sapientiā valet, attamen Spiritum DEI non habet: Iud. Epist. v. 19. Ejusmodi homini, si in revelatam Evangelij cognitionem, qua nobis fidem & salutem offert, incidit, duo predicata Apostolus Emphatica assignat, I. ἡ δύναμις γυνῶναι II. ἡ δέχεται.

2. VOLUNTATE itidem, quo ad internos motus spirituales, homo est mortuus, Eph. 2. 1. liber justiciæ, Rom. 6. v. 20. servus peccati Ioh. 8. 24.
3. PRAETEREA sunt quatuor potissimum animi motus & gradus in religione. I. Intelligere doctrinam & præceptum DEI. II. De intellectu cogitare & ratiocinari. III. Velle, IV. Perficere. Singulos singulatim nostris viribus in totū Apostolus detrahit. I. Animalis homo non percipit. 1. Cor. 2. II. Non sumus idonei ex nobis aliquid cogitare. 2. Cor. 3. III. Deus dat velle. IV. Et perficere Phil. 2.
4. AD HAEC est & illud Achylleum argumentum in disputatione VVinariensi objectum:

Nulla res aut causa, qua amisit suas bonas vires, aliqua boni verè operari, vel cooperari potest, sola aut cum alijs; multò minùs si eadem insuper malas aut contrarias vires nacta est, juxta illud: Num de spinis uva colliguntur, aut de tribulis ficus. Mat. 7. & 12. Sed homo naturalis aut Adamicus non modo amisit bonas vires quoad Spirituales cordis motus, sed insuper pessimas & contrarias nactus est, quod disputatione superiori de Originis malo infinitis penè Scriptura testimoniis fuit assertum.

Ergò impossibile est, hominem naturalem à se ipso ad sui conversionem aut alios cordis spirituales motus excitandos vel efficiendos quicquam operari vel cooperari posse.

DENIQUE impotentiam efficacissimè probant preces piorum, ut quod in primis Regius Propheta Psal. 119. Deum precatur, ut ipse velit dare intellectum: & etiam omnes regenerati quotidie orant, Remitte debita nostra, Ne nos inducas intentionem

tionem: Quid autem magis stultum, quam orare, ut facias, quod in potestate habes? Prorsus, inquit August., de Natura & Gratia 107, cap. non oramus DEVM, sed nos orare fingimus, si nos ipsos, non ipsum putamus facere, quæ oramus: prorsus non gratias agimus DEO, sed agere nos fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.

Rectè igitur & piè cum Meg. nostro Luthero concludimus: Liberum arbitrium hominis animalis etsi laudibus ad Cæli vertices usq. exehamus, suâ tamè naturâ Nihil est, nisi absurde satis volueris hominem claudum nominare agilem, qui tamen nihil nisi claudicare potest: Et nisi impiè admodum Papam dixerimus hominem sanctissimum, cum tamen Paulus proprio nomine nuncupet eum Homine peccati & Filiū perditionis; Christus Abominationē.

### X.

Sed habet sese non renata hominis voluntas in sui conversione purè passivè, tanquam subjectum convertendum.

1. Sicut homo, qui corporaliter mortuus est, se ipsum viribus propriis preparare & accommodare non potest, ut vitam & auram hanc vitalem recipiat; ita homo Spiritualiter in peccatis mortuus se ipsum suis viribus ad spiritualem justitiam consequendam applicare &vertere non potest: Imò in Spiritualib. quæ ad animæ salutem proximè & immediatè spectant, est instar statuae salis, trunci, lapidis &c. quatenus scilicet internam operationem & efficientiam respicimus.
2. Ex quo tamen non conficitur, DEI ac Doctorum in Ecclesiâ conciones, commonefactiones, adhortationes esse de nihilo: Quandoquidem ex eo, quod Salvator Matth. 9. ad Iairi filiam inquit, Surge puella, malè quis colligeret, suis eam viribus propriis à morte in vitam hanc animale[m] surrexisse; ut & satis imprudenter, ne dicemus impiè, quando Lazarum Ioh. 11. defunctum in vivis evocavit, quod

cat, quod propria vi evigilaverit; sed hac Christi vox imperans adjunctam habuit virtutem resuscitandi mortuos: eadem ratione omnes ad penitentiam adhortationes, divinam divini Spiritus gratiam habent adjunctam, & sunt veluti instrumenta, quibus Spiritus Sanctus homines è somno vitiorum efficaciter potenterq; exsuscitandos utitur, ut hac occasione ostendat, quod eis deest, precari incipiant, ut satis pleno cum spiritu omnes ad penitentiam alloquitur atq; adhortatur homines; O homo (inquies) in preceptione agnosce, quid debeas habere; in correptione, tuo te vitio non habere; in oratione, unde accipias, quod vis habere.

3. Est præterea illa loquendi formula, cum dicitur, Voluntatem se habere PVRE PASSIVE, non simpliciter, sed cum certâ quadâ restrictione accipienda; respectu videlicet adventantis gratiæ, sive inchoationis & operationis gratiosæ; quemadmodum & B. Lutherus, qui hujus phraseos author perhibetur, seipsum, & Lutherum fidus ejus interpres B. Chemnitius interpretantur, hanc nimirum esse hujus locutionis sententiam;

4. PRIMO quod Liberum Arbitrium naturale non in se habeat illam *ἐνεργητικὴν* facultatem, ut vel Spirituales motus DEO placentes inchoare, vel ad gratiâ suis viribus sese applicare & preparare valeat; sed esse istos primos motus non nisi pura Spiritus Sancti in nos convertentis dona, ejusq; efficaces in nobis operationes, quas in mente ac voluntate naturali tanquam subiecto adequato operatur.

5. SECUNDO quod ista operationes Spiritus Sancti seu primi isti conversionis motus à mente patiente intelligi ac à voluntate patiente recipi possint, non ut à cerâ ceu subiecto nec intelligente nec sentiente effigies impressa recipitur, neq; etiam ut asina Bilcami sine mutatione sensili loquebatur, sic hominis voluntas sese habeat, sed sensus & mutatio quadâ fiat in voluntate, ita ut cû renovari ea ceperit, post primum Spiritus Sancti motum, ietum atq; impulsum non sit otiosa, quin potius tanquam nova creatura, quod Spiritus sanctus solus dedit, desiderando, assentiendo, luctando cooperari incipiat.

6. Ex

6. Ex quibus ingens apparet inter truncum & hominem convertendum discrimen. Truncus enim naturâ suâ planè immobilis, quando aliunde movetur, nullam intrinsecam capacitatem sentiens, patitur: Mens autem & voluntas hominis quamvis verè in conversione sit subiectum planè passivum; suâ tamen naturâ à DEO est condita & manet perpetuò *divinus*, quæ capax fieri potest donationis DEI & vitæ æternæ, & in quod adveniens Spiritus Sancti gratia cadere potest; quod de lapide affirmare, esset extremè impium.

## XI.

Et tantum abest, ut voluntas non renata modiculum dundaxat ad conversionem efficienter conferat, ut potius repugnet, repugnantiq; gratia Spiritus Sancti detur.

1. EST REPUGNANTIA ratione distincti temporis duplex; alia ante Conversionem, & ante omnem Spiritus Sancti gratiosam in nobis operationem; alia post Conversionem.
2. Querenti itaq; An Spiritus Sancti gratia impertiatur non-repugnantibus id est, ijs, qui externis suis viribus ante internam Spiritus Sancti motionem sese preparare, ut jam amplius ex sese, modo Spiritus Sanctus accesserit, sint capaces recipiendi futuras ejus Spiritus operationes? Respondemus, Dari repugnantibus Spiritum. Neg. est hæc sententia Synergismo obnoxia, cum non quid voluntas agat, ut obediat, sed quid agat, ne obediat, dicatur; ut enim in illo est otiosa, ita in hoc admodum est negotiosa.
3. Interroganti verò, An Spiritus Sanctus detur repugnantibus, id est, ijs, qui Spiritui operanti, cum is gratiam illam in Evangelio auditam, vel cogitatam menti ac voluntati concedit, ut possit bonum cogitare, conari, luctari, obsequi, assentiri, &c. toti tamè resistunt & quod opus bonum Spiritus S. in illis capit, excutiunt? Respondetur, Gratia Spiritus Sancti non conferri repugnantibus.
4. Datur enim Spiritus Sanctus, non ut repugnantia naturali liberè  
deinceps

deinceps indulgeamus, sed ut ex insipientibus fiant sapientes, ex nolentibus volentes, ex repugnantibus non repugnantes; ubi verò nulla adhuc est lucta adversus illam repugnantiam, ibi certum est nullam etiam adhuc adesse operantem Spiritus Sancti gratiam, nullam inchoatam conversionem.

5. Ante conversionem igitur ut vetus homo ex naturalibus viribus ad bonum nihil operatur, nihilq. cooperatur; ita ejusdem voluntas non renata se non modo ut subjectum patiens habet, sed & Spiritui S. maximè repugnat, rebellat, est q. inimica adversus DEI gratiam,

## XII.

Sed solus Spiritus Sanctus in hominis mēte ac voluntate novam lucem ac vitam novam largitur, id est, hominem carnalem convertit, trahit, inclinatur, illuminat, justificat, vivificat, renovat, ac reformat.

1. Privationi optimè jam succedit liberatio & illuminatio, cujus principium & causa efficiens est sola Spiritus Sancti efficax operatio. Homines, siquidem suâ naturâ (ut dictum) nihil nisi mera tenebra, non possunt fieri lux absq. Domino. Eph. 4. Sedentes sub umbra mortis non possunt nisi à solo Christo, illuminatos recipere oculos. Luc. 1. Sopitos in peccatis jacentes dormientesq., non nisi à Christo expergiscuntur. Eph. 5. Hic enim est solus, qui aperit cor ad audiendum verbum Dei Act. 16. oculosq. mentis Eph. 1. qui scribit Legem in cordibus Jerem. 31. qui dat intellectum ad discendum statuta Ezech. 36. Spiritum intellectus & sapientie Esa. 11. v. 2. Huic si quis in faciem contradicit redarguitur infinitis modis unico illo, NIHIL, dicente Christo ad renatos suos discipulos Ioh. 15. v. 5. sine me NIHIL potestis facere. Cujus gravissimi dicti verba ut aliàs gravitatis plenissima, à Christo decantata; ita etiam pijsimè ab Augustino ponderata; Non (inquit) sine me parùm potestis facere dicit, nec dicit, non potestis ardui aliquid sine me facere

*facere, vel difficulter sine me poteritis; sed sine me potestis; neq;  
dicit sine me nō potestis facere, sed nihil potestis facere sine me.*

### XIII.

Verbum verò prædicatum & auditum est instrumentalis causa nostri ad DEVM conversionis.

1. De extraordinariâ & immediatâ hominis conversione, quam DEVS suo sibi arbitrio liberrimo reliquit, non disputatur; sed questio est de ordinariâ convertendi ratione, cui legitimus mediocrum usus includitur, auditus nimirum & meditatio verbi divini: Sic enim sapientissimo DEO visum, nos per stultam prædicationem salvos facere 1. Cor. 1. 12. & fidem ex auditu conferre Rom. 10. 17.
2. Quo nomine & Evangelium nominatur ministerium Spiritus 2. Cor. 3. 6. Potentia DEI ad salutem credenti Rom. 1. 16. Sic præter alia Sacra Scriptura exempla est & illud longè clarissimum Lydia nimirum Act. 16. v. 14. cui Dominus PER auditum verbi cor aperuerit.
3. Neq; enim homo truncus est aut lapis, nec sic à DEO convertitur, ut ex lapide fit statua, sed necesse est accedere notitiam lectionis, auditus & meditationis, studioso animo perceptam; nec inde tamen infertur, hominem, cujus est inpotestate verbum DEI audire vel non audire, ex suis viribus quidquam ad sui conversionem efficiendam afferre; si enim vel maximè centenos (si possibile esset) annos aut omne vitæ tempus conciones audiendo consumeret, nihilo magis inde converteretur, quàm si aliud quidquam sive domi sive in agro ageret, nisi DEVS peculiari Spiritus sui gratia per auditum verbi in cordibus auditorum efficaciter operaretur.
4. Cur autem apud omnes verbi divini auditores auditus iste non fructificet, nec audiendo verbo singuli convertantur, est questio alterius loci: Ea autem est certa & indubitata Theologiæ hypothesis, non in DEO, non in verbo prædicato culpam, sed eam penes  
solum

*Solum auditorem residere, quod operationi divina fortissimum ac veluti ferreum obicem actuali petulantia ponit: id quod ex parabola Christi de quadruplici semine est manifestissimum, cujus quarta saltem pars, vitio non seminantis, non seminis, sed agri, in quo seminatur, fructum fert. Luc. 8. Matth. 13. Esa. 6. 9.*

#### XIV.

**Quamprimum Spiritus Sanctus per verbum opus conversionis inchoavit, certum est, homines per collatam Spiritus Sancti gratiam *συνεργειν* incipere, atq; efficacia organa Spiritus fieri.**

1. *Adhuc fuit de Libero Arb. Captivo potius ac Servo, quatenus consideratur in statu peccati ante conversionem; restat, ut quid Liberum seu verius Liberatum Arbitrium in statu gratia post conversionem valeat, expendamus.*
2. *In illo quia Captivum incipit esse Liberatum, ob id voluntas jam renata gratiam DE I non tantum operantem, sed & cooperantem sentit, ut & ipsa cooperanti cooperetur: Si enim, inquit Salvator, Ioh. 8. v. 36. Filius vos liberaverit, verè liberi estis. atq; ubi Spiritus Domini, ibi vera libertas. 2. Cor. 3. v. 16. Nosq; DEVS in omni opere bono, ut ejus voluntatè faciamus, perficit Heb. 3. 12. Ita ut jam opus novum non sit ex nobis, nec tamen sine nobis: Sed promptus est animus volendi. 2. Cor. 8. 11. & condelectatio legi divine Rom. 7. 22. & voluntariū sacrificium Ps. 110. 3.*
3. *Vnde Concilium Arausicanum pie decidit: Si quis per Spiritus Sancti operationem in nos fieri, ut benè velimus, non consistetur; resistit Spiritui Sancto per Salomonem dicenti, Preparatur voluntas à Domino; & Apostolo salubriter predicanti: DEVS est, qui operatur in vobis & velle & perficere. Cui adstipulatur illud Augustini lib. de Cor. & Gra. cap. 2. Intelligent, qui filij DE I sunt, Spiritu Dei se agi, ut quid agendum est, agant: aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil agant.*

*Qua*

4. *Qua omnia non eò sunt rapienda, quasi mutuas operas homo conversus & Spiritus Sanctus convertens invicem sibi traderent, vel homo cooperetur eodem modo, quo duo equi simul unâ ac mutuâ operâ currum trahunt; sed quod hominis jam conversi voluntas non tam sit otiosa in rebus Spiritualibus quam antea fuit, sed habeat aliquos motus excellentiores ac diviniore, quos auxilio Spiritus Sancti orando, luctando & meditando auget & exercet.*
5. *Totum enim Conversionis opus secundum initium, incrementum, ac complementum DEO unice & plenè ascribitur, adeò etiam ut postquam homo jam est renatus, ut gratiosè Dei operationi obvegyè incipiat, id ipsum non ex seipso aut naturali dōvō puet, sed à Deo habet 2. Cor. 3. 5. Qui renovationis donum à se collatum in renato sustentat, auget & confirmat, dat q; perseverandi gratiam juxta illud Phil. 1. 6. 2. Cor. 12. Qui igitur estis boni assignate illud dono Dei, & nolite vobis assumere, quod donatum est vobis, ne perdatis, quod habetis, & dicat vobis Veritas; Quid habetis, quod non accepistis; ut graviter Chrysost. in Psal 118. hortatur.*

### XV.

Et hac ratione homo renatus quantum & quamdiu Spiritus Sancti ductui ac regimini obsequitur, tantum & tamdiu est obvegyòs; ubi verò Spiritus Sancti gubernationi & monitis non est audiens, collatam sibi gratiam planè excutit.

1. *Quando Spiritus Dei nos in Conversione fingit & creat, non ut homines, quod antea fecit, sed ut boni homines simus, quod nunc gratia sua fecit; duplex quasi tunc homo non substantia, sed qualitatu respectu sese semper offert; Spiritualis scilicet & Animalis 1. Cor. 2. 15. Novus & Vetus. 2. Cor. 5. v. 17. Interior & Exterior 2. Cor. 4. 16. adeòq; perpetuò manet pugna carnis & Spiritu,*

C


tu, adeò


rus, aded ut secundum Spiritum & veterem hominem, renatus  
condelectetur legi Dei, sibiq, velle adjaceat; secundum carnem  
verò & veterem hominem verbo reluctetur ac repugnet Rom. 7.

3. 1. Pet. 2. 11.

2. *Causa est; quia vires hominum in hac vita non sunt omnibus mo-  
dis atq, numeris absoluta, sed ut Apostolus suo exemplo evidenter  
demonstrat Rom. 7. omnes renati in hac vita primitias tantum  
acceperunt. Cum verò caro renatos semper maneat, indies opus  
habent auxilio Dei, qui conatus eorum, ne deficiant, adjuvet Eph.  
4. 13. 1. Cor. 9. 24. Cui soli debetur quod hominis voluntatem &  
præparet adjuvandam, & adjuvet præparatam; nolenter præve-  
niat ut velit, volentem subsequatur ne frustra velit.*
3. *Si jam renatus carnem suam mortificaverit Gal. 5. 24. Rom. 7. 12.  
22. sua isthac infirmitas sensim virtute DEI perficietur 2. Cor. 12.*
4. *Sin vero peccatum in renatis regnaverit Rom. 6. 11. & φρόνημα  
τῆς σαρκὸς malint sequi, quàm φρόνημα τῆς πνεύματος & Rom. 8. gratiâ  
excedunt Matth. 17. Luc. 11.*
5. *Quare indefessa verbi meditatione, crebro Sacramentorum usu,  
assiduâ divini numinis & auxilij imploratione, ceterisq, virtu-  
tum exercitijs quotidianis maxime opus est; ne renovatus in  
tali Spiritus & carnis, veteris & novi, interioris & exterioris  
hominis luctâ succumbat. Renati enim faciles sumus ad seducen-  
dum, debiles ad operandum, fragiles ad resistendam. Si discer-  
nere volumus inter bonum & malum, decipimur; si tentamus  
facere bonum, deficiamus; si conamur resistere malo, deijcimus &  
superamur, nisi assidua adsit gratia Dei, quâ stabiliamur ut  
graviter, suaviter, & eleganter Bernbardus  
in Sermone de Adventu Domini  
concludit.*







4. *Qua omnia non eò sunt rapienda, quasi mut  
versus & Spiritus Sanctus convertens int  
vel homo cooperetur eodem modo, quo duo e  
ruà operà currum trahunt; sed quod homi  
luntas non tam sit otiosa in rebus Spiritualib  
sed habeat aliquos motus excellentiores ac d  
lio Spiritus Sancti orando, luctando & n  
exercet.*


5. *Totum enim Conversionis opus secundum initi  
complementum DEO unice & plenè ascribit  
postquam homo jam est renatus, ut gratiosa  
yèi incipiat, id ipsum non ex seipso aut natur  
habet 2. Cor. 3. 5. Qui renovationis donum  
to sustentat, auget & confirmat, datq; perse  
xta illud Phil. 1. 6, 2. Cor. 12. Qui igitur  
illud dono Dei, & nolite vobis assumere, quod  
ne perdatis, quod habetis, & dicat vobis Ver  
quod non accepistis; ut graviter Chrysost. in*

### XV.

Et hac ratione homo renatus  
quamdiu Spiritus Sancti du  
mini obsequitur, tantum  
*συνεργός*; ubi verò Spiritus S  
nationi & monitis non est  
latam sibi gratiam planè ex

1. *Quando Spiritus Dei nos in Conversione fingi  
mines, quod antea fecit, sed ut boni homine  
gratia sua fecit; duplex quasi tunc homo no  
litarù respectu sese semper offert; Spiritualis  
1. Cor. 2. 15. Novus & Vetus. 2. Cor. 5. v. 1  
rior 2. Cor. 4. 16. adeòq; perpetuò manet p*

C



mo con-  
derent,  
ac mu-  
rsi vo-  
a fuit,  
s auxi-  
get &

tum, ac  
iam ut  
i suveg-  
dà Deo  
renata  
am su-  
gnate  
vobis,  
abetis,  
atur.

x  
i-  
st  
r-  
l-

at ho-  
l nunc  
d qua-  
mialis  
Exte-  
Spiri-  
u, adeò